13

Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

FRUCTUUM HORARIORUM ET ESCULENTORUM USU ET ABUSU,

QUAM

AUCTORITATE SENATUS ASCLEPIADEI

IN INCLYTA & PERANTIQUA ELECTORALI HIERANA,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobiliſſimi, Excellentiſſimi atq; Experientiſſimi

DN. JUSTI VESTI,

Med. Doct. Patholog. Prof. Publ. Ordinarij

& Facultatis Med. p. t. DECANI,

DN. PATRONI & PROMOTORIS ſui æternum devenerandi,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores & Privilegia

DOCTORALIA ritè capeſſendi,

Publicæ Eruditorum cenſuræ ſiſtit

GODOFREDUS Wilde/

VRATISL. SILESIUS,

IN AULA COLLEGII MAJORIS,

Ad diem 29. Octobris, Anno MDCCIV.

ERFORDIÆ, Stannô GROSCHIANO, Acad. Typogr.

Digitized by Google

DEO,

PATRIÆ

ATQVE

AMICIS.

Digitized by Google

PROŒMIUM.

USque adeo deplorandus eſt vitæ humanæ ſtatus ac conditio, ut ea, quæ homini à DEO Ter Optimo Maximo poſt lapſum ad ſuſtentationem æque ac delectationem conceſſa, nihilominus ad ægritudinem & internecionem diſponant, ſi aliqualis ſolummodo exceſſus in iisdem committatur. Neque vero è longinquo teſtimonia peti debent, ſi tantum Vinum conſideramus, teſte ſacro codice, iſtud lætificat cor hominis, ſi vero exceſſivè ſumatur, diſponit quoque ad varia vitia & rixas. Si conſideramus fructus æſtivos Ceraſa, Ribes, Pyra, Poma, mora, fraga, alioſque, quali non delectatione afficitur genus humanum? langventibus enim ſitim moleſtam feliciſſimè extingvunt, nihilq; mali metuendum, ſi moderate ſumantur, exceſſus

vero, qualia non ſolet inferre incommoda? cruditates nimirum accidas, fermentationes inordinatas & febriles, Diarrhœas, Cephalalgiam, ita ut ubivis in aſſumtione fructuum horæorum ſemper debeat obſervari illud Poëtæ: Sit modus in rebus, modus eſt pulcherrima Virtus, *i. e. ne quid nimis. Quid dicam de fructibus autumnalibus, prunis cæruleis, damaſcenis, ſcarlatinis, malis perſicis, apricoſis, uvis &c. quomodo ſcilicet exceſſus iisdem commiſſus ſæpius viam pandat ad mortem, quemadmodum hoc autumnali tempore permulti Incolarum ſuo experti periculo dyſenteria afflicti, quam ſolummodo à prunis damnaſcenis devoratis contraxerunt. Ita enim dijudicat ingarum vulgus, ea, quæ à DEO bona creata ſunt, indifferenter ingurgitari debere, ac firmiter ſibi perſuadet, Ventriculum ſuum eſſe naturæ ſaxeæ ac ferreæ indolis: Verum tandem experiuntur tales ſuo damno, quid effecerint, ſi graviſſimis morbis corripiantur ac quam plurimi iisdem exſtingvantur. E re igitur maximè erit, tales fructus horæos & eſculentos exactius paulo examinare, in quonam conſiſtat eorundem effectus, quinam ſit eorundem aſſumendi modus, ut proſint, nec noceant. Opera pretium itaq; eſſe*

judicavi, ſi thema hocce loco ſpeciminis Inauguralis Eruditorum disquiſitioni placidæ ſubjicerem, quale pro temporis anguſtia licuit breviculis concipere. DEUS autem Ter Optimus Maximus, ut divinæ ſuæ gratiæ aurâ propoſito meo adſpirare velit, hoc eſt, quod ex intimis Cordis penetralibus exopto!

§. I.

DUm verba facturus ſum de horariis & eſculentis fructibus, prius enodandum erit, quid intelligatur per fructus horarios, ubi in verba inquirenti, ſtatim obveniet reſponſio à Criticis, quod nempe fructus in genere ſignificet omne id, quod plantæ ultimò proferunt, adeoque & ſemina vel grana complectitur: In ſpecie tamen id nominis ſibi reſervant fructus majores, e. g. *pyra*, *poma*, *pruna*, *nuces* & his ſimilia. Quando autem Epitheton additur Horæi, Græce *ὡραῖος* i. e. tempeſtivus, tunc in genere denotat illud, quod debito tempore fit & opportune; ſtrictius vero dicitur de fructibus tempore æſtivo maturis ſub medio Canis, in quo utplurimum fructus matureſcere contingit. Ulterius additur eſculentis, ubi obſervandum, quod non o-

Digitized by Google

mnes fructus hic intelligamus, qui in officinis reperiuntur, verum ſolummodo eos, qui intra corpus ſumuntur ad conſervationem & nutritionem corporis & eſcam Naturæ gratam & amicam præbent, vel etiam præter facultatem nutritivam & refectoriam etiam virtutem medicamentoſam obtinent.

§. II.

Cum vero variæ fructuum dentur differentiæ, ut alii ſint exotici, alii indigeni, alii ſint fugaces & ad reponendum inepti, alii durabiles, alii autumnales, alii culinares & alii officinales; ex his tamen primum occurrunt noſtrates & indigeni, ubi prima vice examinamus Poma, quæ ratione culturæ vel ſunt ſylveſtria vel domeſtica, hæc præſentis & potioris erunt conſiderationis. A Botanicis vero triplicis deſcribuntur generis; alia enim ſunt acida, alia dulcia; alia ſubacida Horum quoque dantur variæ ſpecies & quidem inter acida recenſentur poma ſylveſtria & ex domeſticis poma albicantia magna, Germanice vocant die Zapfen-Aepfel/ Zwilling-Aepfel/ quæ ſucco acido ſunt turgida, & ſunt frigidæ & adſtrictoriæ naturæ, tam domeſtica quam hortenſia. Inter dulcia recenſentur poma hortenſia, quæ vocantur Germanicè, die Süß Aepfel / die Labe Aepfel / quæ ob dulcem ſaporem à plurimis avide appetuntur; verum plerumque vim laxandi obtinent & ſunt naturæ calidioris: Subacida vero poma, qualia ſunt poma *Borsdorfiana vinoſa*, die Wein-Aepfel / & à locis, unde apportati die Stettiner / item ex Pomis Francicis, Poma *calville* Reinetten &c. Hæcce quoniam vinoſum & ſub-acido ſuavem ſaporem habent, omnium maximè expetuntur & quidem ob ſuccum minus corruptibilem, re-

ſpectu

ſpectu aliorum; adeo enim ſunt durabilia, ut etiam ad tempus iſtud poſſint conſervari, quo poma iterum maturescunt. Talia ſuccum aliquo modo mellicum dulcificatum poſſident, ac ſine ulla noxa à ſanis comeduntur, in flatulentis vero ſubjectis pauxillo ſeminis Aniſi poſſunt condiri. Cordialem virtutem ac ſtomachicam in ſe continent, unde ſi cum pane & vino aſſumantur, nil incommodi exinde metuendum. Dulcia ſub cineribus cocta, oculorum inflammationem & dolorem ſedant, *vid. Ettmüll. in Colleg. Pharmac. Timæus & Scultetus in Armament. Chirurg.* Si vero ſimul cum myrrha miſcentur ſuccurrunt pleuriticorum doloribus punctoriis exterius applicata. Varia quoque ex pomis in officinis præparantur & quidem ex dulcibus & vinoſis, ſyrupus de pomis, qui Ventriculo ſatis gratus erit in febribus ad levandam ſitim. Ita etiam ſuccus inſpiſſatus pomorum proſtat atque unguentum de pomis, cujus effectus ſatis eſt notus apud Plebejos.

§. III.

Ex exoticis pomis frequentius poma Citri ex Italia ad nos translata & apportata in magno æſtimio habent. Mala Medica & Aſyriaca vocantur, quoniam horum uſus apud Medos & Aſſyrios & imprimis apud Perſas nimis frequens erat. Horum variè dantur ſpecies; variant enim magnitudine & figura: Quædam ſunt majora inſtar Melonum, alia minora & vulgaria, alia Limonum magnitudine, ita quoque alia prælonga ſunt, alia rotundiora. Præferuntur minora in officinis, utpotè carnoſiora & magis ſucculenta. Omnia, quæ pomum Citri conſtituunt, in uſum Culinarem & Pharmacevticum trahuntur. De

Cor-

Digitized by Google

Cortice itaq; ut initium faciam, recens habet virtutem cordialem quoad odorem reficiendi, diſcutiendi flatus ſive carminativam. Pulpa ſeu Caro refrigerat & humectat, id quod etiam facit ſuccus expreſſus in febribus ardentibus; cordialem enim virtutem & alexipharmacam cum cortice & ſaccharo, ſi adhibeatur, poſſidet, ſimulque veneno reſiſtit & lumbricos fugat, in ſpecie hoc facit ſemen, quod ſimul digerit & abſtergit. Uſum Citri contra Gonorrhœam deprædicat *Amat. Luſit.* contra morſum Viperarum, *Charras de Viperis*, it. *Hoffm. Clav. in Schröd. p. 445.* Imò eundem Citri uſum adverſus putrefactionem & corruptionem quamcunque conferre, docet *Julius Alexandr. de Salubr. p. 259.* Ex pomis verò Citri varia proſtant in officinis, *Flores nempè conditi. Confect. Cortic.* ▽ *ex toto Citro, Ol. Cortic.* ♌*at. Syrup. acetoſ. citri*, it. *Balſamum, Acetum & Electuarium*, quæ omnia virtutem analepticam & alexipharmacam poſſident.

§. IV.

Nec poma aurantia minoris ſunt conditionis, quæ triplicis generis ſunt, acida, dulcia atque vinoſa. Acida atque Vinoſa ejusdem qualitatis cenſentur, ac mala citria. Cortices in torminibus ventris, colicisque à flatibus ſubortis inque calculo & dyſuria corrigenda aliis palmam præripiunt; quin imò & diaphoretici & febrifugi comperti ſunt. Quid valeant Cortices hi contra vermes, vid. apud *Ettmüll. p. 520. Tom. II. Piſo in Braſilia lib. I. p. 10. Borell. Cent. I. Obſ. 9.* Famoſa eſt ▽, quæ ex floribus aurantiorum ♌atur, & peculiari nomine vocatur aqua *Namphæ*, quæ promovet ſudorem, & analepticum eſt egregium. Similiter quoq; ▽ ex corticibus ♌atur ejusdem quidem

dem virtutis, non tamen æqualis fragrantiæ. In officinis ulterius proſtant, *Condit. Cort. Citri, Conſerva, Electuar. ol.* ♌, *balſamus*; it. *Ungventum Aurantiorum*, quod Infantum umbilico impoſitum fugat lumbricos, compeſcit æſtum cordi inunctum, & ſomnum blande conciliat temporibus illitum.

§. V.

Nunc progrediendum ad Mala Granata, quorum arbor duplex eſt, vel domeſtica vel ſylveſtris; Iſta pomifera eſt, hæc ſolummodo flores profert: Et quamvis utraque exotica ſit, nihilominus tamen & in noſtratibus hortis colitur. Quoad qualitatem dantur Granata acida, dulcia vel acido-dulcia, id eſt vinoſi ſaporis. Acida frigiditatem & adſtrictionem poſt ſe relinqvunt & magis Ventriculum confortant, imprimis in febribus biliofis, unde & horum uſum in Cardialgia, quæ à bile exoritur, adeo extollit *Simon Pauli in Quadrip. ſuo Botan. p. 384.* Sic & horum eſum magni facit, tanquam refrigerantem in hepate fervido *Baro de Verulamio in hiſt. Vit. & Mort.* Proſunt etiam in Gonorrhœa, in pica Gravidarum compeſcenda & oris putredine corigenda. Habent præterea Cardiacam & Cephalicam virtutem, unde crebrior uſus eorundem in Vertigine & ſyncope. Flores collecti ex Granata ſylveſtri, balauſtia dicuntur, virtutis valde adſtringentis, inſpiſſantis & exſiccantis; hinc horum uſus creberrimus erit in omnis generis fluxionibus, e. g. Diarrhœa, Dyſenteria, uteri hæmorrhagia, fluore albo, in ſangvine vulnerum ſiſtendo, in laxitate gingivarum. Similem effectum quoque habet Cortex Granatorum, qui præter vim adſtrictoriam influxu ſangvineo uteri, narium, hæmorrhoidali, com-

 men-

mendatur etiam ad præſervationem oculorum à morbillis, ſi oculi illo illinantur, confert quoque in Gargariſmatibus, ubi opus adeſt adſtrictione.

§. VI.

Mala perſica molli carne, viridi & alba conſtant, refrigerant & humectant valdopere in æſtu febrili; quoniam vero facile putreſcunt, ideoque in corporibus impuris & cachecticis non adeo crebrioris ſunt uſus. Si ſtatim in prima menſa ſumuntur, laxant alvum: Exſiccata vero conſtipant in alvino fluxu. Nuclei vero inter diuretica & lithontriptica, in obſtructione bilis, ardore ſtomachi &c, valde laudantur. Extrinſecus vero crebro adhibentur in Emulſionibus dolori capatis ſedando. Sic quoque ex his nucleis ∇ Satur diuretica, it. ol. ex nucleis exprimitur, quod dolores aurium, hæmorrhoidum dolores ac tumores & colicos ſedat aſſumtum. Succedunt Perſicis, mala perſica Armenia die Morellen / de quibus conſtat, quod melioris ſint nutrimenti; Optimi vero nutrimenti cenſentur Apricotia, Apricoſen / quæ magis cordialia putantur reliquis, & inter bellaria optima referuntur: Continent enim in ſe ſuccum vinoſum, cujus beneficio corroborant, Ventriculumque cum cœteris viſceribus recreant. Nec hoc reticendum, quomodo nuclei interni ad naturam amygdalarum dulcium proximè accedant, quam ob cauſam vocantur Mandel-Apricoſen. Datur quoque alia ſpecies Perſicorum, tam interne quam externe rubentium, hæc ſiquidem ſpecies præ aliis magis proficua judicatur, quoniam colore ſuo ſangvineo, ſangvinis æſtum valide compeſcere creduntur.

§. VII.

Cydonia vel mala Cotonea ſunt triplicis generis; dantur enim Cotonea majora pyriformia, media & minora; hæc aliis præferuntur, quoad ſuccum & carnem rariorem. Sunt autem mala ſtomacho dicata, ſiquidem ſucco ſuo ſtyptico tonum fibrarum ſtomachicarum laxatum iterum conſtringunt & ad naturalem ſtatum deducunt, eapropter in vomitu, ſingultu & laxitate ſtomachi egregiæ ſunt virtutis. Alias de his notatu maximè digna res, quod cotonea ante cibum aſſumta alvum conſtipent, è contrario à paſtu, laxent. Semen Cotoneorum refrigerat & humectat, ratione mucilaginoſarum partium, cum ▽ roſarum vel ▽ ſpermat. Ranarum extractarum, ardorem lingvæ compeſcit & in ſiti febrium malignarum cum Saccharo Saturni commiſta, & lingvæ applicata mucilago magnum uſum præſtat. Inſervit etiam talis mucilago dolori hæmorrhoidum vehementiori, ſi in Clyſteribus applicetur; quin & in omnibus inflammationibus externis, v. gr. oculorum item ad ſciſſuras labiorum atq; mammarum generoſum audit remedium. Ne nimis adſtringant in menſa, coqvuntur cum paſſulis minoribus & Cinnamomo, & hoc modo valdè corroborant ventriculum. Si condita cum Cinnamomo & caryophyllis aſſerventur, (remoto ſemine & cortice exemto) tunc egregium embamma, Spiritus vitales mirum in modum confortans conſtituunt. Ex ſucco cydoniorum deſtillata aqua cum cinnamomo vel borragine, aquam conſtituit adſtringentem cordialem in officinis creberrimi uſus. Apud Plebejos magno in pretio habetur panis cydoniatus, in Vomitu, Diarrhœa & Dyſenteria valdè proficuus,

id quod etiam Roob cydoniorum, ex remanentia ▽ cinnam. cydon. præparatum, præſtare ſolet. In officinis adhuc varia ex cydoniis præparata proſtant, ſcilicet *Ol. cydon. Miva ſeu Syrupus, marmelada diacydonium ſimplex & compoſito*, quæ omnia adſtringunt. Diacydonium verò laxativum ex ſcammonio & ſucco cydoniorum alias egregium laxans æſtimatur. Similiter & opium cum ſucco cydoniorum fermentatum, excellens conſtituit *Laudanum Langelotti* ſatis celebre & expertum. *Lanugo* exterior contra tela venenata à *Foreſto* commendatur. Ita refert *Heinr. Mundius* de Eſculentis, quod cotonea contra toxica valeant, id quod in illuſtri Perſona ſe obſervaſſe dicit. Ex præcepto *Solonis* ſponſus non concumbere debuit, niſi guſtato malo cotoneo, quod Symbolum pudicæ conjugis erat, *Valentinus Löberus in anchora Sanitatis p. 67.* Ita alii cotonea commendant gravidis, ut formoſos liberos accipiant.

§. VIII.

Pyra ſunt delectamentum hominum, atque dividuntur in domeſtica & ſylveſtria, utraque in uſum trahuntur culinarem. Eliguntur verò præ aliis in culinis domeſtica, ſylveſtria autem inſerviunt muſto & aceto conficiendo. Ex domeſticis præferuntur pyra dulcia, vinoſa & acidula & quidem aromatici ſaporis, qualia ſunt Moſchatellina majora, & minora, Muſcateller-Birn / Palatina, Pfaltzgrafen-Birn / Pagana, pyra Paradiſiaca, Margaretana, & ex Francicis pyris, viridia Pergamothia, Sacchara ta, Mellita, Aromatiſata, Virginea & quidem hæc ſunt fugacia, ſerotina verò erunt pyra hyemalia dicta, anſerina, Jardina, Caprina &c. In genere de pyris notandum, quod

æſtiva-

æſtivalia & fugacia utplurimum in ſe contineant ſuccum facile fermenteſcibilem, præcipue dulcia, quæ admodum facile putreſcunt, nihilominus tamen, ſi ſtatim, quam primum matureſcunt & vinoſum obtinent ſaporem; comedantur, corpus reficiant, ſitim ſedent, ac ventriculum corroborent, eoque magis ſi cum pane aſſumantur. Alias pyra duriora cum artemiſia & lardo cocta egregium præbent nutrimentnm plebejis; vis enim flatulenta ſupprimitur ab artemiſia, alii hujus loco ſem. aniſi addunt. Pyra Moſchatellina condita à multis langventibus expetuntur. Muſtum expreſſum ex pyris recens æque ac aliud aſſumi poteſt; verum quamprimum fermenteſcit, tunc absque noxa bibi nequit.

§. IX.

Ficuum variæ dantur ſpecies; quædam ex Hiſpania, quædam ex Marſelle ad nos apportantur & cum ſint multivarii uſus, ideoq; à plebejis frequenter adhibentur. Prout vero adhibentur & applicantur, ita quoque diverſas obtinent operationes: Sunt enim vel recentes, vel exſiccatæ in furno & ſole, quæ dicuntur Caricæ. Recentes humectant & bechicæ ſunt; hinc in pulmonum affectibus, ubi acres humores pulmonum tracheam irritant, non exiqui ſunt uſus. In Calculoſis arenulas Renum & veſicæ absque dolore educunt, in Variolis & morbillis expulſionem adjuvant. Exſiccatæ primitiæ ficus grosſiæ dicuntur, quæ valde utiles ſunt in pectoris affectibus; ubi expectoratione opus eſt, ſi cum ... Vini aniſato exhibentur. Mulierculis Batavis appropinquante partu, ficuum toſtarum eſus, ad partum facilitandum eſt familiarisſimus; *Vid. Rajus in Hiſtor. plantarum.* In tumore

more & dolore dentium., ſi cum lacte coquantur & dentibus ac gingivis applicentur, præſentius hoc ipſo non datur remedium. Exterius in dolore Colico & Hæmorrhoidibus cœcis ex ficubus Cataplaſma præparatum magnum levamen præſtat. Exterius in tumoribus glandularum & bubonibus peſtilentialibus maturant, emolliunt & attrahunt, docente Scripturâ Sacrâ *in Hiskia Lib. II. Regum c. 20.* Decoctum ficuum in morbillis valdè commendat *Foreſt. l. 6. Obſerv. 16.* In duritie Lienis & Epatis aperiunt & emolliunt ac dolores ſedant, vid. *Mercatus lib. I. de rectis præſidiis cap. 1.*

§. X.

Prunorum duo genera dantur, nempè Domeſtica & ſylveſtria. Variant hæc ratione coloris, magnitudinis, figuræ & ſaporis. Sunt enim ſubdulcia, acida, purpurea, rubra, lutea; quælibet Species peculiarem obtinet effectum. Ut autem à majoribus incipiam, dicuntur iſta purpurea, gallinarum ovorum magnitudinem adæquantia die Roß-Pflaumen / & pruna maxima vel lutea die Scharlachen/ alvum movere; verum quia facilè putreſcunt, ob ſeroſitates nimias eorundem uſus eſt ſuſpectus. Similiter de prunis cereis & cœruleis conſtat, quod ob crudiorem ſuccum ſæpiùs & exceſſivè comeſta dyſenteriam inducant & propterea multis in locis à Magiſtratu prohibita fuere, ne venalia habeantur. Aliter verò res ſe habet cum prunis damaſcenis, cujus vices ſubeunt pruna Ungarica, quæ ex Pannonia & Tranſylvania afferuntur, quæ ex Moravia apportantur exſiccata, omnia laxandi vim poſſident. Præterea & dantur enucleata & pellicula exuta Pruneola ex Gallia ad nos delata, ex flavo ruffeſcentia,

mixti ſaporis gratiſſima, die Prunellen/ eâdem virtute gaudentia. Palma datur Damaſcenis, quæ ex Syria Venetias ſicca transportantur, nucleoque ſunt longo & plano potius, quam rotundo. Prunorum genera omnia actû refrigerant & humectant. Recentia emolliunt & laxant, & niſi iisdem quis abutetur, non æque nocent; in primis ſi panis ſimul addatur. Omnium maximè gratiſſima ſunt noſtratia pruna Damaſcena, eſui aptiſſima; humectant enim & ſitim maxime levant. De Pruneolis compertum eſt, quod magis refrigerent, quam reliqua ac humectent, citra alvi commotionem, gratum ergo refrigerium febricitantibus præbent. Varia in officinis proſtant ex prunis præparata, condita ſcilicet pruna; pulpa prunorum, Elect. diaprunis ſimpl. Diaprunum laxativum compoſ. Pruna laxativa &c.

§. XI.

Fraga æſtivo tempore gratiſſima ab omnibus cenſentur, præcipuè ſi cum Vino, Cinnamomo & Saccharo ſumantur; refrigerant enim & humectant. Calculum Renum & Veſicæ pellunt inſenſibiliter; præterea & veneno reſiſtunt & in febribus ſitim & æſtum febrilem compeſcunt ac urinam provocant. In hiſce modo dictis affectibus egregia cenſetur ▽ fragorum & hujus Syrupus; ſi ex his Julebus præparetur, refrigerium maximum exhibebit febricitantibus. Similiter quoque egregium Coſmeticum exhibet ▽ ſtillata; Item ſudorem & urinam movet juxta *Bartholin. Cent. 3. Anat. 57.* & hæmorrhagias ſiſtit, vid. *Valentin. Löber, in anchor. Sanit. p. 61. & Caſpar. Hoffman. de Medicamentis officinal.* dicit, antifebrilem eſſe. Rubi Idæi fructus, Scarlatini coloris egregium habent uſum; gratiſ-

ſimum

ſimum & jucundiſſimum ſaporem; hinc etiam eorundem ſuccus & ſyrupus frequentioris erit uſus ac aliorum mororum; majorem enim vim cordialem obtinent. In officinis ▽ ♌ ata ex ſucco, uti & Syrupus quoad virtutem refrigerandi, ſtomachum & cor corroborandi frequentiſſime præſcribitur, propter jucundiſſimum colorem & gratiſſimum ſaporem etiam delicatuli vinum exinde conficiunt, quod apud Magnates in magno æſtimio habetur. Ribium variæ dantur ſpecies, ſunt enim vel hortenſes rubræ, vel nigræ vel maculatæ vel albæ, quæ poſteriores baccæ gratiores ſunt guſtu, ipſis rubris. Virtutem alias poſſident refrigerandi, aliquo modo adſtringunt & Ventriculum confortant, unde etiam in alvi fluxibus bilioſis, uti & in Dyſenteria & Cholera egregii uſus ſunt; bilem quoque infringendo in febribus bilioſis maximam præſtant operam, ſitim levant, putredinique reſiſtunt. Albæ ut minus acidæ calidiores cenſentur. In officinis proſtant baccæ conditæ, Roob de rib. ſimplex & compoſ. Item Vinum & ſuccus liquidus. Similes virtutes attribuit quoque *Tragus in Herbario.* Baccæ ſi exſiccertur & dyſenteriis commendentur, felicem effectum poſt ſe relinqvunt.

§. XII.

De Ceraſis plurimi ſibi gratulantur, quamprimum eorundem æſtivo tempore capaces fiunt; primum vero variæ ſpecies examinandæ erunt. Variant 1.) quoad colorem, ſaporem, figuram, aliasque differentias. Ita dantur ceraſa dulcia, nigra & rubicunda. Priora ſunt officinalia & in uſum Pharmaceuticum potiſſimum ſumuntur. Hortulani vero hodienum ex Gallia varias ſpecies ſibi compărărunt & quidem 1) Ceraſum Cordiale, Ceraſum Majale,

le, ceraſum aromaticum, ceraſum absque nucleis, ceraſum botroydes. Potiores virtutes ceraſorum variant quoad ſpecies. Acida refrigerant, ſiccant & adſtringunt, cor ac ſtomachum roborant, hinc in febrili ſiti ac æſtu mitigando magnum ſolamen afferunt ſive cruda, ſive condita. Dulcia ſunt temperata & ſimul humectantia ac cephalica, unde & in morbis capitis, Apoplexia, Epilepſia, Paralyſi &c. peculiariter conveniunt; Ꝗatur quoque ex hiſce ▽ Ceraſor. nigrorum in Epilepſia maximè conveniens. Similiter & Syrupus ceraſorum acidorum cum flor. tunicarum, eſt familiariſſimus hodiernis Practicis. Ex nucleis ▽ Ꝗata antinephritica eſt & calculum pellens; adhibetur in frontalibus, ad dolores capitis diminuendos. Egregia Eſſentia lithontriptica præparatur ex Ceraſis exſiccatis & contuſis cum Cinnamomo, caryophyllis & ♒u Vini invicem mixtis. Ceraſa acida bilis acrimoniam refrenant, vid. *Alexander ſalubr. p. 254.* eademque & *Fernel. Conſil. 43.* in hypochondriacis & bilioſis commendat.

§. XIII.

Meſpila quoque noſtratibus in regionibus inveniuntur, quæ ſunt vel ſylveſtria vel domeſtica. Ratione ſucci, quatenus eſt acidus & auſteriuſculus adſtrictoriam virtutem habent; hinc eorundem uſus præcipuus erit in diarrhœa & dyſenteria, in vomitu ſiſtendo, Oſſicula mirum in modum ad calculum atterendum & expellendum conveniunt, vid. *Foreſt. l. 22. Obſerv. 7.* Uva ſpina Stachel-Beer itidem duplex, eſt vel hortenſis vel ſylveſtris, ab aliis vocatur Groſſularia. Hujus baccæ immaturæ ſi pullis Gallinarum incoquantur, appetitum excitant, atque Cholericis loco agreſtæ in brodiis conveniunt, gravi-

das præſervant ab abortu, hinc valdè utiles erunt in alvi fluxu bilioſo, fluore albo, & gonorrhœa. *Sebizius in auctario Trag.* baccas has commendat in pica Gravidarum tanquam ſingulare remedium. Mora ſunt duplicia, vel albicantia vel nigra; nigra præferuntur albis. De nigris ſciendum, quod interdum immatura, frequentius tamen matura in uſum trahantur & propter virtutem adſtrictoriam, refrigerantem & exſiccantem in omnibus fluxionibus conveniant, e. gr. diarrhœa, dyſenteria, fluxu menſtruo nimio & expuitione ſangvinis. Extrinſecus verò in faucium & oris inflammationibus, ulceribusque. Mora matura refrigerant & humectant, ſolvunt alvum ſitim egregie ſedant & appetitum excitant, nutriunt parum & facilè ſunt corruptibiles. De immaturis ſcribit *Schreinerus de ſalutaribus rebus p. 23.* quod Cœliacos & Dyſentericos curent. De Chamæmoris refert *Henr. Mundius de eſculentis*, quod Stomacho ſint gratiſſima & utilia, quibus ad ſatietatem comeſtis, Scorbutici in Norvvegia pene deplorati feliciter curentur.

Myrtilli alias Vaccinia nigra vocantur; hæ baccæ plebejis nimis gratæ ſunt, ab iisque comeduntur avidè cum pane. Contra vomitum & diarrhœas utiles inveniuntur; in ſpecie, exſiccati in dyſentericis utiliſſimi erunt, etiam in caſu deſperato, uti mihi retulit, *Excellentiſſimus Dn. D. Rivinus, Præceptor atque Patronus meus, per ætatem colendus.* Febricitantibus contra ſitim & faucium inflammationem erunt gratiſſimi.

§. XIV.

Uvarum variæ inveniuntur ſpecies: Sunt etenim, uvæ Ungaricæ nigricantes majores atque minores, uvæ incarna-

carnatæ & carnoſæ, moſchatellinæ, Franconiæ, Elbingenſes, nobiles, Chilianæ, Petroſelinæ, cinnabarinæ, flaveſcentes &c. Hæ uvæ omnes, ſi ad debitam maturitatem pervenerint, & cum pane comedantur, non vero exceſſive, tunc roborant ventriculum, & nutriunt, vid. *Bertinus in Medico Univerſali l. 9. c. 6.* parumper tamen flatus excitant, imò interdum alvum laxant & humectant. Succus expreſſus muſtum vocatur & hoc æque modice bibitū ac clarum aſſumtum cum pane, ventriculi tonum fibrarum firmat. Uvæ immaturæ & harum ſuccus expreſſus agreſta dicitur, quæ refrigerat, ſiccat & adſtringit: Itaque ejusdem uſus erit in febribus ardentibus; excitat præterea appetitum, fluxum alvi compeſcit, ſangvinem craſſum inducit. Uvæ paſſæ ſunt uvæ vi caloris exſiccatæ, ſive calore Solis iſta exſiccatio peracta ſit, unde paſſulæ dulciores reſultant, ſive calore clibani, unde dulci-acidæ. Proſtant uvarum paſſularum potisſimum genera tria; Paſſulæ ſcilicet maximæ ſeu Damaſcenæ, Zibebæ dictæ, deinde Paſſulæ majores & minores Corinthiacæ. De Paſſulis notum eſt, quod temperatè ſint calidæ, leniant, alvum laxent, acrimoniam temperent, Ventriculo, pulmonibus atque Epati gratisſimæ ſint, tusſimque mitigent. Ex Zibebis ſi decoctum fiat, mirum in modum in febricitantibus ſitim levare ſolet. *Matth. de Grad. Conſil. 48.* in fluore albo, in hydrope puerorum à *Riverio Lib. IV. Cap. 15.* in Atrophia *Joël* in Praxi *Riverius c. 4. Obſerv. 37. 43. 44.* in Vermibus præſcribit *Lemnius de occultis naturæ miraculis c. 21.* Proſtat in officinis vel paſſulatum, Condit. Paſſular. laxativ. Loch. paſſulatum.

§. XV.

Melones apud nonnullos Aulicos in deliciis haben-

Digitized by Google

tur, & dantur duplices, majores & minores; majores vocant Pepones, minores vero melopepones. Ipſa pulpa refrigerat & humectat intenſe, propterea quoque ſemper aliquid de pipere & ſacharo commiſcendum. Faſtidioſa eſt nimis pulpa ob dulcedinem, facile putreſcit, hinc quoque torminibus ventris & febribus anſam uberrimam præbet. Nonnulli tamen aſſerunt, quod in pulpa latitet antidotum lumbricorum latorum. Minus nocere ſolet, ſi coquatur cum pipere & potu Vini corrigatur. *Julius Alexandr. de Salubribus pag. 249. Melones*, inquit *præſens optimumque fervente æſtate & ſqualoris tatius ac ſitis remedium eſt, niſi tam parata ſæpe noxa deterreret.* Pepones comeſti urinam provocant, *Heinr. Mund. de Eſculentis.* Semen Melonum eſt optimum ex 4. frigidis ſem. majoribus, aperitivam atque abſterſivam poſſidet virtutem, epaticum eſt ac nephriticum: Confert quoque in humorum acrimonia pulmones infeſtante & rodente, unde & in phthiſi ac febribus valdè laudatur. Convenit prætereà ardori urinæ & ſiti ſedandæ, ſi emulſio exinde paretur. Cucurbitæ ſativæ, licet varient magnitudine, colore, figura, nihilominus tamen conveniunt natura & viribus. In Saxonia inferiori æque ac aliis locis pulmenta ex pulpa cum ovis, aqua roſarum & Cinnamomo præparantur; verum admodum pauxillum aſſumi poteſt, ſi verò exceſſus fiat, nocet hic cibus ventriculo, nimis enim refrigerat. Interiora filamenta ſi in Phreniticis nuchæ applicentur, abigunt delirium. In ſedanda ſiti præſertim à bile exorta, demendoque corpori ſqualore in ſummis fervoribus & ſiccitatibus commendat *Julius Alexandr. Salubr. p. 238.* Semen reperitur in numero 4. ſeminum frigid. majorum.

Cucu-

Cucumis in genere notat varios fructus horarios, adeoq; ſub eo comprehenduntur Cucumis officinarum, ſativus & ſylveſtris, pepones, melones, anguriæ. Variant autem quoad colorem, & ſunt virides, albi, longi, recurves, læves & aſperi. Fructus habent uſum culinarem, & cibum exhibent medicamentoſum in calidioribus ſubjectis. Ipſa ſubſtantia Cucumerum refrigerat, & humectat, adeoque antequam acetaria ex his præparentur, prius debet exprimi humiditas & poſtmodum pipere, aceto, ⊖e & oleo Olivarum debito modo commiſceri; hoc modo palato optimum erit ferculum; nonniſi tamen robuſto ventriculo præditis porrigendum. Condiuntur quoque Cucumeres aceto, fol. lauri, ſem. anethi, fœnic. & fol. vitis, & ita poſſunt aſſervari ad longum ſatis tempus.

§. XVI.

Pergo nunc ad nuces, inter quas Juglans primatum obtinet; hujus dantur variæ ſpecies; vel enim ſunt majores vel minores vel maximæ, Hæ vocantur Juglandes equinæ, mediæ magnitudinis ſunt optimæ, minimæ verò non admodum gratæ. Nuces juglandes recentes comeſtæ difficilioris ſunt digeſtionis, à peſte dicuntur præſervare. Recentes cum ruta, ficubus & modico ⊖is *Mithridati, Ponti Regi* inſigni, erant alexipharmacæ, vid. *Henr. Mund. de eſculentis.* Sic ex Juglandibus viridibus ☊atur ▽ (quam in peſte, grumis ſangvinis, ulceribus tibiarum & meliceride utilem *Camerarius* deprædicat,) alii ex ſolis putaminibus viridibus. Præparantur varia ex nuce juglande viridi, nempè Rob Nucum, quod in inflammatione faucium mira facit. Ulterius ex nucibus maturis exprimitur oleum, quod flatus potenter diſſipat,

adeoque in colico dolore multum affert auxilii. Avellanæ quoque variant quoad ſpecies, ita alia eſt ſativa, alia ſylveſtris, ſativa datur fructu albo minore, vel fructu majore rotundo maximo vel oblongo rubente. Sylveſtris fructus eſt minor albidior & rotundior, quam ſativa. Valde gratæ ſunt & inter bellaria referuntur. Eodem modo dicuntur venenatis animalium ictibus reſiſtere ac juglandes, ſi cum ruta & ficubus imponantur. Urinæ ardorem mitigant. Putamen crudum pulveriſatum adſtringit & fœminarum diverſa profluvia ſiſtit. *Quercetanus* ſpecificum exinde præparat cum Corall. rubr. & mandib. luc. piſc. Contra ſtuporem dentium multum efficiunt avellanæ oleoſæ. Nutriunt etiam ac augent lac & ſperma, temperant acrimoniam & incraſſant. Ita etiam contra calculum valent, vid. *Crato lib. 3. Conſil. 21. Amatus Luſitan. Curatione 78.* Caſtaneæ dantur duplices, domeſticæ & ſylveſtres, majores & minores, culinaris ſunt præcipue uſus, carnibus & gallinis incoqvuntur, & elegans exhibeat nutrimentum, melius ac ſi crudæ ſumantur. Præter membranam rubram cortici ac carni intercedentem, nihil officinis exhibent. Cum pari pondere raſuræ eboris alba fœminarum profluvia cohibet. Ex caſtaneis Emulſiones quoque parantur contra hæmoptyſin, imò immodicos alvi fluores & ſangvinis rejectiones validè ſiſtit, præcipue in vino auſtero ſumta. Tribuli aquatici alvifluxum ſiſtunt, *Löbet in anchor. ſanit. pag. 69.* Quibusdam in locis tribuli æquatici in farinam rediguntur, & ob annonæ inopiam agreſtes panem parare ſolent, proinde ac ex caſtaneis paratur ab aliis. Permulti tribulos ſub cineribus aſſatos pro gratis bellariis edunt. Pi-

C neæ

neæ nuces in epulis magni æſtimantur, incoctæ gallinis & carnibus, creberrime adhibentur in Phthiſicis, hecticis, eosdem enim quam optimè nutriunt, ſi ſint recentes, tuſſi medentur, ſtranguriæ ac urinæ acrimoniæ: Præterea ſegnem excitant venerem & ulcera mundificant. *Jul. Alexandrinus ſalubr. pag. 266.* dicit, pineas conferre ad omnia aſperæ arteriæ, pectoris & pulmonum vitia, item in expurgandis Renibus, in fluore albo mulierum atque in emundatione veſicæ abraſæ; *Panarolus Pentec. 2. Obſerv. 48.* Fructus pini annonæ refugium Romæ aõ 1550. *Johan. Bauhin. in Hiſtor. 11. Tom. 1.* Oleum in Vino malvatico abſumtum armat, in venerem, *Ettmüll. Tom. I. pag. 146.* Piſtaceæ ejusdem virtutis cenſentur ac pineæ, conveniunt autem in primis in mucilagine pulmonum reſolvenda, in obſtructione hepatis, atrem nauſeam & vomitum, reſtituunt appetitum, bonumque ſuppeditant nutrimentum. Æque etiam exprimitur oleum ex nucleis ejusdem virtutis cum ol. pinearum, Emaciatis, hecticis, nephriticis & ſtomachi ſubverſioni ſuccurrit. Fagi fructus, glandes fageæ comeſtæ Lithiaſi prodeſſe putat, *Henr. Mund. de Eſcul.* Contra Calculum, *Sennert. Schwenkfeld & Dodonæus* valdè laudant. Amygdalæ ſunt vel dulces vel amaræ, dulces nutritivæ ſunt, temperantes, humorum acrimoniam lenientes & hinc dolorem & vigilias ab acrimonia oriundas demulcentes, adhibenturq; in primis in Emulſion. Morſulis & placentis. Cerebri ſubſtantiam augere dicuntur ac ſomnum promovere, maciemque corporis prope pellunt, *Julius Alexandr. in Salubr. pag. 265.* Amaræ attenuant, abſtergunt, diureticæ, lithontripticæ, obſtructionibꝰ Epatis, lienis, meſenterii uteriq; conveniunt. Extrinſecus lentigines tollunt, ſi maſticatæ illinantur, capitis

dolori

dolori ſubveniunt in frontaſſib9, & contra ebrietatē laudantur, vid. *Julius Alexandr. Salubr. pag. 266.* Perſpecto fructuum horariorum uſu, nunc & nonnulla de oleribus eſſent dicenda; verum cum hac vice charta anguſtior ſit, quam ut poſſit plura involvere, ideoque ad alteram partem hujus Diſſertationis me confero, nimirum ad fructuum horariorum noxam, ſimul coindicans brevisſimis, quid noxæ ab his fructibus homini ſuccreſcere poſſit.

§. XVII.

Pomorū eſus nimius ſecundum *Miſcell. Natur. Cur. Anno XIV. pag. 170.* Vomitum, Cardialgiam, Incubum, vertiginem & palpitationem cordis induxit, vid. *Sim. Pauli, Quadripart. pag. 81.* Pomorum Citri uſus nimius multoties maciem corporis & malum hypochondriacum, imò ipſam Hecticam produxit. Mala perſica vermium generationi fores pandunt, ac interdum diarrhœas moleſtisſimas producunt. A Cydoniorum abuſu Diabetes in Rege Neapolitano Alphonſo *Paſchial. method. curand. in c. 50.* It. ardor Urinæ *Gabelgoverus Cent. I. Curat. 43.* fuit inductus. A pyris fermentantibus diarrhœam lethalem permulti Practici experti. De Ficubus *Pancovius p. 174.* dicit, quod ſcabiem gignant *Matthiolus p. 255.* Pediculos, *Heer lib. I. obſ. 73. Galen. libr. de Evchymis, Paulus Ægineta* & *Oribaſius* aſſerunt, quod flatus copioſos gignant. *Julius Alexandr. p. 201. Salubr.* teſtatur, quod ficus generent ſangvinem putridum & carnem laxam, imò lienem obſtruant. Pruna ſæpius generare dyſenteriam *Pauli p. 444. in Quadr.* refert. Ab eſu fragorum mortem *Fabric. Hildan. Cent. V. Obſ. 38.* refert à rubis ideis Choleram inductam *Pauli Quadrip. Botan.* Symptomata plura vid. *M. N. C. Anno 15. Obſ. 22.*

A Ri-

Digitized by Google

A Ribium nimio eſu febris & macies orta, *M. N. C. Anno XI. p. 177.* Gravedines *Anno XVI. p. 283.* Ceraſa in ſpecie amarena multis vermiculis ſæpè ſcatent, ſufficient vel ſola ad vermium generationem. Meſpila damnoſa, vid. apud *Bruerinium lib. 2. 21.* Mora vermes producunt, *Cardan. Comment. in Hippocr. Prognoſt. c. 18.* lacte verò ſuperbibito, Cholera inducta, *Binignerus Cent. III. Obſ. 61.* Uvarum illotarum noxam vid. apud *Hildan. Obſerv. 39. L. V.* Lienis tumorem colicosque dolores parientes vid. *Valentin. Löber. in anchora ſanitat. p. 61.* Dyſenteriam ab uvis, vid. *Foreſt. Lib. XXII. c. 3.* Melonum eſus Choleram excitans, vid. *Jul. Alexand. ſalubr. p. 240.* Multi Magnates periiſſe ab eſu Melonum, vid. apud *Valentin. Löber. in ancb. ſanit. p. 59.* Colicam febrim ab iisdem excitatam notat *Ponarol. Pentec. I. Obſ. 29.* Ab eſu Cucurbitæ vomitus convulſivi *Jul. Alexandr. p. 238.* A Cucumerum eſu Colica *Binningerus Cent. II. Obſ. 40. Jungken. Pr. p. 240.* A Peponum eſu mors Pauli II. Pontificis, *Zwingerus p. 499.* Cholera, *Amat. Luſit. Cent. II. Obſ. 32.* Sic & à Peponum uſu nimio mortem ſibi contraxit Albertus II. Imperator Romanus, Æneas Sylvius, Dubrav. Caſpinian. Avellanas dyſenteriam produxiſſe in primis recentes *Matthiol.* aſſerit *p. 229.* Ita etiam à Juglandibus Coryza & Aſthma non ſemel fuere inducta vid. *Sennert.* Caſtaneæ ſæpius Incubus cauſæ exſtiterunt, teſte *Hildesheimio in Spicileg. p. 434.* Amygdalæ amaræ Gallinis venenum exiſtunt, *Ettmüll. in materia Medica.* A fructibus ergo horariis gula prohibenda, ſvadente *Matth. Martini, de morbis meſenterii p. 28.* ſiquidem febres malignæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, febres quartanæ, Rhevmatiſmi, hæ-

D morrhoi-

Digitized by Google

morrhoides exinde proveniunt, vid. *Schola Salernii. p. 537.* It. *Ettmüll. Operum ſuorum Tom. II. p. 1331.* Plures noxas quæ ex horariorum & eſculentorum exceſſivo uſu fuere prognatæ poſſem adducere; verùm quoniam de hac materia integer liber conſcribendus eſſet, ſi omnia annotanda fuiſſent; ideoque hic ſubſiſto, & Diſſertationi huic impono

F I N E M.



Alluſio

Alluſio ad Nomen

Nobiliſſimi atque Clariſſimi

DOMINI DOCTORANDI

Gottfried Wilde/

cum voto omnigenæ proſperitatis.

QVi cum Monarchâ maximo *colit pacem*,
Qui *liberalis* audit & ſimul *mitis*,
Laudem meretur, judico, perennantem:
Te *Godofredum* Wilde tale commendat
Orbique docto ſiſtit inclutum Nomen,
Id quod reportas hinc decusque manſurum:
Bellum gerendo cum phalange morborum
Non eſto *mitis*, fortis eſto bellator,
Hoſtesque vince perpetim triumphando:
Sic *liberalis* Te fovebit ægrotus
Solvendo ſolpes *liberaliter* ſoſtrum:

Sanctam

Digitized by Google

Sanctam colendo porrò cum *DEO pacem*
Et proximo, beatus es Medens: *mitis*
Si ſis egenis, proſper eſto: nam noſter
Mites beatos dicit eſſe Salvator. * *Matthæi 5.v.5.

αὐτοσχεδ.

D. GEORG. CHRISTOPHORUS PETRI ab Hartenfelß/ Sacri Palat. Cæſ. Comes, Conſiliarius & Archiat. Electoral. Mog. Conſul primarius & Phyſicus Erffurtenſis, Univerſitatis & Facultatis Medicæ Senior, P. P. & P. L. C.